

† R. P. Petrus Damiani Steidl (1873-1946)

(Prov. Austr.)



Raro in sodali aliquo semisaeculum quasi totius historiae alicuius Missionis nostrae sic personificatum videmus, sicut Scandinavam nostram Missionem in Patre Steidl. Eo autem defuncto d. 14 Aug. 1946 scripsit Exm̄us Sueciae Episcopus Ioannes Ericus Müller: « Vix me dicere oportet, quantopere hunc virum apostolicum aestimarim. Habebat in corde meo locum privilegiatum, eumque omni tempore servabit ». Danicus autem quidam sacerdos eodem tempore sic indicavit: « In Patre Steidl Dania perdidit unum ex optimis, prudentissimis, humillimis ac piissimis suis presbyteris, qui unquam hic pro causa Ecclesiae laborarint. Supervacaneum mihi esse videtur pro quiete eius animae orare; potius inclinamur ad eius intercessionem efflagitandam ».

Locus natalis huius eximii confratris est *Toblach*, Tyrolidis meridionalis pagus, et hoc loco natali P. Steidl contentus erat, quandoquidem in quadam oratione dicit: « Gratias tibi ago, Deus magne et sancte, quod patriam mihi parasti in plaga adeo meridiana, ut temperamento et sensu, fide et fiducia magis calido austro similis sim quam frigido aquiloni ».

Et patris et matris familia multos Ecclesiae sacerdotes donavit Etiam notus Iesuita Hattler, primus editor germanici « Nuntii Cordis Iesu », familiae Steidl admodum propinquus erat.

Primus fructus matrimonii Petri Steidl et Rosae Viertler S. Petrum Damiani recepit caelestem patronum, quia eius die festo (23-II-1873), qui tunc in Dominicam Quinquagesimam incidit, in lucem editus et ex aqua baptismali regeneratus est. Ante partum pia genetrix oraverat coram Matris iugiter opiferae sacra Icone: « Infans nascendus tibi, beatissima Virgo, sit consecratus; si est mas, evadat sacerdos, et sanctimonialis, si est femina. Tu autem infantem iugiter protege! » Eodem die in longinqua Dania, in sacello missionali urbis Odense, P. Brinkmann S. I. Viam Crucis benedixit. Divina Providentia, attingens a fine ad finem fortiter et disponens omnia suaviter, iam tunc recens natum infantem Tyrolensem et Danicam stationem missionalem univisse videtur.

Puer, initio valde debilis, crescebat et confortabatur, et quodam die, in genua ante genitorem procumbens, supplicavit: « Da mihi, quaeso, benedictionem tuam paternam et licentiam incipiendi studia sacerdotio necessaria ». Dolens pater, attenta familiae condicione oeconomica, petitam

veniam recusavit. Tum Petrus noster in simplicitate cordis augustae caelorum Reginae litteras dedit et in loco secreto abscondit, ubi post multos annos repertae sunt. Interim piaee preces erant exauditae. Adiutus a duabus materteris Petrus Brixinense « Collegium Vincentinum » ingreditur; verum priusquam eo proficisceretur, in paroecia sua interfuit missioni a PP. Redemptoristis praedicatae, id quod ei consilium inspiravit: « Talis et ego quondam ero! » Postea tamen anceps haerere coepit, et fingens se morti proximum in variis Institutis religiosis, audivit internam vocem: « In Alfonso Instituto morieris omnium felicissime ». Scripsit igitur ad proximam domum nostram Oenipontanam, et sine mora P. Provincialis Schwiembacher adulescentulum quindicennem ad iuvenatum, tum in Ketzelsdorf Bohemiae situm ¹ et postea suppressum, invitavit.

De triennio Ketzelsdorfiensi (1888-1891) notandum est singulare eius studium precandi. Ipse sibi dicebat: « Fortasse veniet postea tempus, quo parum mihi orare licebit. Tunc Deus rationem habiturus est multarum orationum, quas nunc profundo ». Collegit igitur hic bonus iuvenista quoddam « capitale » spirituale, id quod postea seni futurum erat insigni solacio.

Relinquens Vincentinum Brixinense, Petrus Steidl fuerat ex 40 alumnis ordine quartus. In iuvenatu eminebat scientia linguarum classicarum, latinae et graecae. In familia nulla festivitas sine aliqua eius oda latina, et interdum cum sodali graece conversari studebat.

Tentationes, quas contra vocationem experiebatur, nec leves, proveniebant ex eius amore Missionum exterarum, quarum nullam tunc Provincia Austriaca possidebat. Hae cogitationes quodam die ei causarunt fortissimos capitis dolores, et solamen quoddam quaerens, mente paragrabat in atlante Asiam, Africam, Australiam, Oceaniam, donec, ad Europam rediens, in Scandinavia sisteret. Cur tantopere ei Haunia (*Kopenhagen*) placeret, ipse nesciebat; sciebat solum esse terram protestantem. Pro momento quidem Deo omnes Missiones exteras, etiam Scandinaviam, sacrificavit, sed iam providentissimus Deus ei hunc campum apostolatus destinarat.

In tirocinio Eggenburgensi Fratri Steidl contigit sub moderamine Servi Dei Guglielmi Janauschek stare. Cum novitius systematicam meditationem frustra peragere studeret, remedium valde simplex reperit: replens statim ab exordio orationis totam animam aliqua pia cogitatione, v. g. Nativitatis Christi, et de hoc argumento cum eodem Domino familiariter colloquens. Huius « methodi » simplicissimae utilitatem per totam posteriorem vitam sensit. Confitebatur se paene per totum annum eandem facere « meditationem », etiam in gratiarum actione post Missam, neque unquam sibi tempus longum apparere.

¹ Huius domus historiam pulchre narrat G. MADER, *Die Congregation des Allerheiligsten Erlösers in Oesterreich*, p. 218-226.

Vota Redemptoristae nuncupavit festo S. P. N. Alfonsi a. 1892, annos natus 19. Post biennium apud Patres Franciscuales oppidi Hall maturitatis examen peregit. Omnes professores ei notam « cum eminentia » dare volebant, excepto professore litteraturae germanicae, quod Fr. Steidl poëma Goethianum « Faust » antea non legisset. « Non lego tales libros pravos (ita dixerat); quamquam poëmatis argumentum referre possum ».

Inter theologicas disciplinas nullam magis amabat quam historiam Ecclesiae, et ut erat devotissimus erga excelsam Matrem Dei, iam tunc sibi proposuit scribere novum opus de cultu eidem Deiparae medio aevo praestito, id quod revera perfecit, annis 1918-1924 quattuor diversos libros eiusmodi publici iuris faciens, sed investigationes suas ad medium aevum Daniae restringens. Non defuerunt ei internae tribulationes et tentationes, at tenera eius devotio erga Iesum Infantem et Beatissimam Virginem eum de cunctis inimicis triumphare fecit. Ad internas luctas coram aliis celandas eo tempore se assuefecit risui festivo et aliquantulum clamoso, quem dein conservavit per totam vitam.

Sacerdotio auctus est d. 31 Iul. 1898. Pro imaguncula hunc eventum commemorante elegerat verba futurae eius vitae vere programmatica: *Evangelizare pauperibus misit me: sanare contritos corde.*

Eodem a. 1898 Provincia Austriaca primam suam Missionem exteram suscepit, et in Dania quidem, quae Missio itaque hoc vertente anno complet suum primum semisaeculum vitae. Ei destinati sunt PP. Gaudentius Schmiderer et Petrus Dam. Steidl, qui 23 Dec. 1898 Hauniam et brevi post Othiniam seu *Odense* ad suam destinationem pervenerunt. Vix dici potest, quam lugenda et misera fuerint huius Missionis exordia. Qui nos praecesserat sacerdos, in custodia detinebatur propter delicta. Sacellum potius stabulum erat quam aedicula sacra cultui destinata. Sed iuvenis missionarius non desperabat. Ad colligendam stipem cum Superioris benedictione magna suscepit itinera, adeundo Tirolidem, Vindobonam, Hungariam, Alsatiam. Quis poterat hunc sacerdotem pauperem, humilem, sanctum repellere, non pro se, sed pro Domino eucharistico quaestuantem? Nondum erat completum decennium, cum P. Steidl, inde ex a. 1904 Superior Missionis Othiniae, in sollemni novae ecclesiae inauguratione (25-X-1908) cum Salomone exclamare poterat: *Domine, in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa, et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria* (2 Par. 19, 16 s.). Novum S. Albani templum stili gothici cum sua turri 54 metra alta et attiguo collegio nostro est praecipuum ornamentum maioris areae urbis.

A. 1906 obtigit Patri Steidl e manibus profanis vindicare et Congregationi Sororum a S. Hedwige comparare ex-monasterium benedictinum *Dalum Kloster*, magnifice situm prope Othiniam, de quo infra redibit sermo.

Inde ab initio missionarii nostri Danici, ut sumptibus parcerent, in nostris paroecialibus scholis ipsi quoque, praeter Sorores et magistros laicos, disciplinas profanas docebant, et P. Steidl quidem fuit ludimagister primae classis, cui magistratus civiles haud raro meritas laudes publice tribuerunt.

Cum Superiores fabricatori novae ecclesiae Othiniae sex menses feriarum concessissent, hic praeclarum exemplum zeli animarum dedit, insumens illud tempus in nostro collegio Cracoviensi studio assiduo difficilis linguae polonicae; multi enim Poloni tunc omni aestate in Daniam veniebant laboratum. In sola urbe principe Haunia eorum numerus ad 1500 ascendebat, et ad has animas iuvandas confrater defunctus a. 1909 ibi sedem figere iussus est. Nunquam Poloni catholici oblivisci poterunt, quanta pro ipsis hic sacerdos Tirolensis perfecit. Toto tempore antemeridiano occupabatur in schola. Vespere ei multoties pro Cruce Rubra epistulae transferendae erant a captivis e Russia datae. Diebus Dominicis raro aliquid cibi sumere poterat ante horam 2 p. m. Emigrantes autem eiusdem non optimum metallum esse solent, sed scories. Nihilominus P. Steidl confitetur: « Labor solacio replebat cor sacerdotis, nec ulli alteri sacerdoti invidebam. Erant optimi anni vitae meae et, ut spero, maxime meritorii pro aeternitate ». Annis 1920-21 etiam millenis parvulis Vindobonensibus consecutus est hospitalitatem familiarum Danicarum.

A. 1922 Redemptoristae Austriaci in *Naestved*, in insula Seeland, tertiam stationem missionalem susceperunt, et hoc quoque opus difficile huic viro apostolico a Deo benedicto commissum est, nec sine eximio fructu. In eius profectione a. 1930 iam suam parvam, at decoram possidebat ecclesiam Matri de P. S. dicatam. Parvulorum, infirmorum invalidorumque curam egregie Sorores a S. Elisabeth gerunt. Duplex paroeciae elementum, Danicum et Polonicum, pacifice simul vivit¹.

A. 1930 actuosus, sed semper vitae interioris amantissimus religiosus iussus est novitias Congregationis S. Hedwigis in *Dalum Kloster* prope Othiniam in vita religiosa formare, quae de tali plasmatore sibi congratulari poterant. Semper P. Steidl questionibus vitae asceticae curam intelligentem dedicarat, et nunc ei praesto erat experientia abundantissima; quidquid autem promebat ex corde suo pio ac sincero, aliorum corda intime commovebat. Propterea etiam multi sacerdotes et religiosi utriusque sexus et laici libenter suam conscientiam in eius manibus ponebant, et communitates religiosas multae eum invitabant ad secessum annum moderandum. Ultra 100 cursus horum exercitiorum spiritualium praedicavit.

Tribus Daniae domibus, quae in Catalogo a. 1936 etiamtum Austriacis

¹ Ipse P. Steidl de tribus primis Daniae domibus clare et succincte scripsit in *Analecta* XI (1932), 274-280, quamvis nimis suam operam taceat.

insertas apparent, a. 1939, communicatione cum terris exteris semper difficiliore facta, maior quaedam autonomia danda erat. Coeperunt itaque primum « Missionem » formare cum « Visitatore » et inde ex a. 1942 formalem Vice-Provinciam. Primus Visitator primusque Vice-Provincialis renuntiatus est P. Steidl, sub quo ineunte a. 1940 ad tres domos praeexistentes duae novae accessere: *Malmö* Sueciae et *Nyköbing* insulae Falster. Ipse Visitator usque ad a. 1942 propter subditorum penuriam huius posterioris stationis parochus erat.

Interim eius valetudo corporalis declinabat, certo malo cordis multum eum in laborando et itinerando impediens. A. 1943, in quadam aula sermonem faciens, apoplexia corripitur, domum vehiculo vehendus, et a. 1945 pretioso dono visus paene orbatur, ita ut in celebrando caecutientium indulto uti cogeretur et omni superioratu liber fieret. Etiamtum assiduus erat in confessionali. Plurimum temporis transigebat orando coram SS. Sacramento aut recitando in cubiculo Rosarium.

Die 6 Aug. 1946 tanto desiderio confratrum in vicina Suecia, in *Malmö*, laborantium tenebatur, ut vir prudentissimus imprudenter hoc iter aggrediretur. Rediens d. 8 moribundo haud absimilis erat. Die 12 ipse petit ultima sacramenta eaque insigni cum pietate recipit. Die insequenti transfertur in nosocomium Sororum a S. Elisabeth, quod ex adverso est, ubi nocte proxima filium eius vitae tam subitaneae abrumpitur, ut confrater extemplo vocatus corpus iam exanime invenerit.

Quotquot Patrem Steidl noverant: confratres et exteri, sacerdotes et laici, Superiores et subditi, hunc praeclarum S. Alfonsi filium permagni aestimabant. Episcopus Daniae Exm̄s Theodorus Suhr O. S. B. admirabatur eius pietatem, prudentiam, modestiam, et a. 1941 eum nominarat membrum consilii ac tribunalis episcopalis. Pro defuncto amico ipse Missam exsequialem cantare voluit.

Si Iesus vocatur « bonitas infinita », Petrus Dam. Steidl huius bonitatis imitator fidelissimus evasit. Nemo eum adibat sine solacio et adiutorio. Non parcebat expensis, ut subditos contentos et felices redderet. Plus aliorum opera considerabat quam sua eaque laudibus extollebat. Nollens ullum offendere, forsitan interdum omiserit peccantem aliquem vituperare vel rem aliquam, in se forte necessariam, stabilire.

Confrater noster assiduus erat in legendis libris, praesertim historicis, et licet tantopere cura animarum et schola occupatus, inter Congregationis scriptores honorificum occupat locum, ut videre est in Patris De Meulemeester Bibliographia II, 408 et III, 390. Magna gaudebat auctoritate inter peritos Danicos historiae medii aevi; quantum autem ipse gavisus est, cum a. 1928 Almam Urbem ei petere licuit ad perficienda sua studia de quodam Fratre Franciscano regiae stirpis, Iacobo Daciano!

In Dania multi Patrem Steidl considerant religiosum sanctitatis authenticæ eiusque penes Deum intercessionem invocant, nec invanum, ut asserunt. Tempus venturum de hac re iudicium feret. Ipse iam in vita haud uni dixit: « Si in necessitate constituti estis, me vocate, sive vivum sive mortuum. Si quid valeo apud Deum, vos iuvabo ».

FRANC. X. KLAR-C. HENZE
